

1. *Seditiosus est, peruertit gentem, & vetat tributa dare Casari.*

2. *Ipse affectat regnum, dicit enim se esse Christum, id est, Regem illum nobis promissum. Prius planè fictum, posterius corruptum, & falsa illatione in præiudicium Christi adulteratū erat. Et talis fuit accusatio contra Christum instituta.*

Cognitionis Pilati summa est, quod ex omnibus indiciis, & allegatis probè intellexit Christum esse innocētem, ac propterea non sua voce tantum innoxium eum aliquoties pronunciauit, verum etiam aliquot factis, tanquam mediis quæsitis, quomodo impunitum eum dimitteret, laborauit, sed frustra.

Cognouit autem Pilatus innocentiam Christi, 1. Ex Iudæorum odio, quo erga accusatum flagrabant. Nouerat enim probè, per inuidiam traditum fuisse Iesum à principibus sacerdotum. 2. Ex ipsis accusationis articulis, quos Pilatus partim vt futes, & ad rem nihil pertinentes neglexit, partim malitiose intentatos (qualis erat ille de affectato regno) intellexit. 3. Ex silentio Christi, vtpote digna, & satis sufficiente, ad manifesta, & palpabilia Iudæorum mendacia, redargutione. 4. Ex constante, & intrepida Christi apologia, quando de regno suo interrogatus, ita respondit, vt non solum non seditiosum in regno Cæsaris; sed & huius regno ab illius nihil quicquam metuēdum esse iudex certò cognouerit, ideoque ab intentata seditione, & affectato regno immunem eum pronunciauerit. 5. Ex interpellatione, & dehortatorio nūcio ab vxore, diuinitus in somnis hac de causa perterrefacta, & monita, ad se misso.

Ex his itaque rationibus, & indiciis, omnes Pharisæorum, & Iudæorum accusationes contra Christum ex mero odio proficisci, & de nihilo esse Pilatus percepit, ideoque non solum constanter, vt grauis, & iusti iudicis officium erat, innocentiam eius asseruit, sed & cum Iudæi remittere nihil vellent, iudicium à suis humeris variis modis deuoluere (à liquido iure, ad effugia, mediationes, & prudentiam politicam impiè in æternum suum opprobrium, & exitium, discedens) est molitus.

Primum effugium hoc fuit: Cum audiret eum è Galilæa esse,

R